







1719.

1. Hamm, Joh. Wilhelmus : De remissione mercedis,  
juxta fidem ob sterilitatem, aliasque calamitates  
ex contractu locationis conductionis.

2. Kleinsemidt, Nicolaus Wilhelmus : Argumentum  
universum testamento O. Augusti a Jacinta Lam.  
VIII relatum.

3<sup>a, b, c</sup> Ploumies, Zacharius Georgius : De ministeria  
Cobus 3 Suppl. 1740 & 1757

4. Wehrt, Antonius Henricus Josephus : Communi-  
ones, epistolae, subscriptiones, programma-  
ta, vim rei judicatae nos habere [CVII. 57]

1721.

1<sup>a</sup> & 2<sup>a</sup> Bergh, Franciscus Antonius : De origine,  
usu et abusu possessorii summarii.  
2 Suppl. 1721 & 1790.

1722.

1. Franck, Adam Christoph : De sententiis interlo-  
cutoriis et eorum revocatione ducta et occu-



dioue 160 X de expectationibus

1722.

2. Grewerod, Joh. Luc.: De feudis ligiis  
et non ligiis
3. Homburgk, Joh. Frid: De pace et societate  
humani generis natura constituta, ex ipsis  
principiis J. Hobbii probata.
4. Waldschmidt, Johann Wilhelm: De feudis castren-  
sibus. 3 Sumpt. 1722. ~ 1737.

1723.

1. Couraui, Joh. Henr: De juramento manifesta-  
tionis
2. Creutz, Jacobus: De herede causam successiois  
omittente et immutante
3. Reichmann, Joh. Eber: De conditione indelicti  
ob ignorantiam juris non excludenda.
4. Sobrone, Johannes: De jure prohibendi, privatis  
competente.



1723.

5. Waldschmidt, Johann Wilhelm : De relationibus  
decidentis, partibus a iudice communicandis,  
vel non communicandis
6. Waldschmidt, Johann Wilhelm : De bonis et  
Waldrecht.

1724.

1. Muelhause, Joannes Georgius : De contractibus  
innominatis. 2<sup>o</sup>
- 2<sup>a</sup> & 6<sup>a</sup> Muelhause, Johann Georgius : De paucis salu-  
tis in homicidio 2 Exempt.
3. Titmannus dictus Schenck, Joh: De legitima  
scientiarum philosophicarum et artium libera-  
lium aestimatione.
4. Titmannus, dictus Schenck, Joh: De legibus sum-  
mariis
5. Waldschmidt, Johann Wilhelm : De relationibus  
judicium et magistratum, partibus commu-  
nicandis vel non communicandis.




Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is extremely faint and illegible due to fading and the texture of the paper. It appears to be organized into several paragraphs or sections, possibly containing names, dates, and descriptive notes. Some words like "Herrn" and "Frau" are faintly visible.













6

8

1722 7 2

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,  
DE  
ORIGINE, USU & ABUSU  
POSSESSORII SUM-  
MARISSIMI

F. 63.

QUAM,  
SOLO DEO PRÆSIDE,  
EX AUCTORITATE ET DECRETO AMPLISSIMI ICTORUM ORDINIS,  
IN ILLUSTRIS ACADEMIA MARBURGENSI,  
PRO LICENTIA  
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE OBTINENDI,

PUBLICO ET SOLENNI ACADEMIÆ PROCERUM EXAMINI  
AD DIEM VIII. JULII ANN. clō 1ō CCXXI.

SUBMITTET,

FRANCISCUS ANTONIUS  
BERGH,

REVERENDISSIMI ET SERENISSIMI ELECTORIS COLONIENSIS JUDEX  
CIVITATIS ET OGGRAVIATUS RITHENSIS.

EDITIO SECUNDA.

MARBURGI CATTORUM,  
SUMPTIBUS HENRICI RUDOLPHI MEYERI, MDCCXC.





DISSERTATIO IN AUCTORITATE JURIDICA

ORIGINE USU & ABUSU

POSSESSORII SUM-

MARIS IMI

AVD. LUDWIG VON ...  
IN AUCTORITATE JURIDICA

AVD. LUDWIG VON ...  
IN AUCTORITATE JURIDICA

AVD. LUDWIG VON ...  
IN AUCTORITATE JURIDICA

FRANCISCUS ANTONIUS

BERGII

AVD. LUDWIG VON ...  
IN AUCTORITATE JURIDICA

AVD. LUDWIG VON ...  
IN AUCTORITATE JURIDICA

AVD. LUDWIG VON ...  
IN AUCTORITATE JURIDICA

AVD. LUDWIG VON ...  
IN AUCTORITATE JURIDICA







Q. D. B. V.

DISSERTATIONIS

DE

ORIGINE, USU, ET ABUSU  
POSSESS. SUMMARISSIMI.

THESIS I.

**P**ræclarum, suoque eventu dudum comprobatum axioma est Aristotelis illud *Lib. 1. Polit. Cap. 2.* paraphraste Heinsio: *ubi exercentur Judicia sicut oportet, ibi ordo Civitatis conservatur et quasi anima, conservatur institutio, vindicantur leges, tota quippe juris vis dependet a Judiciis, ea enim id quod justum est dijudicant, vera juris regula ac norma, que tanquam rationis arma, corruptissimis nature armis opponuntur.*

Politicoꝝ ille

A

Cory-



Coryphæus, dum Civitatem fundare, fundatam conservare ac tueri, labantem erigere, lapsam restituere auditores suos docere voluit, ad Judicia rite ordinanda sibi potissimum respiciendum esse haud temere credidit: in his enim, ut & in Consultationibus & Legibus cardines cujusque Reip. quasi volvuntur. Tolle inquam Judicia, quid aliud quam belluina vita subintrabit? ab hoc legitimo tramite (vid. l. 12. pr. Cod. de Judiciis) si aberravit Resp. mox Cyclosum illud: *nullus nulli in nullo paret*, eam perfundabit. Ut autem Judicia finem suum obtineant, secundum regulas prudentiæ, statum cujusque Reip. genium quoque & ingenium populi, eadem ordinanda sunt, vid. Conring. *Differ. tres de Judiciis in Rep. recte ordinandis*. Ejusmodi *Judicium* atque *processum* ad statum Reip. German, dudum olim accommodatum, & velut *rationis arma, corruptissimis natura armis*, privata inquam vindictæ *oppositum*, pro Themate Inaugurali mihi selegi. Non equidem ignoro amplitudinem hujus materiæ tantam esse, ut spatiis Academicæ Dissertationis vix coarctari possit; complures etiam prolixos, de eadem professa opera conscriptos, extare Tractatus, eo tamen non obstante, argumenti nobilitate motus, faciam quod solent, qui terrarum firus pingunt, in brevi quasi tabella aliqualem præfatæ materiæ imaginem amplectar, sicque ut spero, universam ejus magnitudinem simul adumbrabo. Atque adeo secundum lemma Dissertationi præscriptum (1.) *de origine possessorii Summariissimi*. (2.) *de vero & genuino illius usu*. (3.) *de abusu* dicam, non equidem quantum dici potest, forasse tamen quantum debet, Deus T, O, M. cœptis annuat!



THESIS II.

Constans hodie justisque rationibus suffulta Practi-  
corum est doctrina, præter possessorium *summarium*, dari  
adhuc aliud, quod *summarissimum* audiat: & quando prius  
illud nonnullis *ordinarium* dicitur, id ipsum non intuitu  
petitorii, sed in comparatione cum hoc extraordinario unice  
fieri, indeque quod nobis *summarissimum*, illis *summarium*  
vocari. Petitorii nimirum intuitu, & ex indole interdicto-  
rum quælibet causa possessionis sua natura summaria est, le-  
vato velo cognoscenda ac finienda, nonnunquam tamen  
lite super possessione suborta celerius adhuc proceditur, ac  
sicut alias, ubi de possessione pleno processu litigatur, quis  
antiquiorem, quis justiorem, vel magis titulatum possessio-  
nem habeat inquiritur, ita aliquando super facto possessio-  
nis eoque novissimo unice se informat Judex, sicque decer-  
nit, quis interim possidere debeat, donec de justitia pos-  
sessionis vel ipso litigantium jure constet. Conf. Stryck. *in-*  
*trod. ad prax. cap. 1. §. 18.* Possessorium hocce summaris-  
simum describimus, quod sit: *Judicium extraordinarium,*  
*quo Judex intentato interdicto retinenda possessionis, ob me-*  
*tum armorum & turbarum de utriusque partis possessione vel*  
*quasi summarim cognoscit, & quis interim possidere debeat*  
*definit, usque dum in ordinario Judicio possessorio vel petito-*  
*rio pronunciari queat,*

THESIS III.

Ea, quæ ad intellectum definitionis realis & nomina-  
lis pertinent, larga adeo manu exposuerunt Commenta-  
tores, ut si eorum tradita huc conducere vellem, peritu-  
ræ chartæ parcendum esse, jure merito mihi objici posset.

A 2

Quan-



Quanto autem ad sola interdicta retinendæ possessionis Judicium hoc restringimus, id ipsum Ordinatur. Camer. p. 2. tit. 27. *fin.* diserte confirmat. Tanto magis mirari subit, quod Hahn ad Wesenb. tit. uti possid. n. 6. cum Gail. lib. 7. obs. 5. & aliis nonnullis asserere non dubitaverit, divisionem hanc Judicii possessorii non tantum de retinenda, sed & de adipiscenda & recuperanda possessione intelligendam esse; ipse Hahnus verborum suorum immemor, in sequentibus ultro agnoscit, possessorium illud demum locum invenire, *ubi utraque pars de presenti se possidere contendit.* Et sane cum in adipiscenda & recuperanda possessione stabilis possessor desideretur, nec aliud plenius possessorium sequatur, remedium tale extraordinarium eo extendi nequit. Conf. Lyncker. in *analect. ad Siruv. sub rubr. ff. uti possidetis.* Mev. p. 2. d. 236. n. 1. Pfankuch. de *summariss. Lib. 1. cap. 7. n. 4.* Dein nec illud pratermittere possumus, quando possessorium hocce vulgato alias nomine *momentaneum* dici solet, id certe eo in sensu fieri haud posse, quo vocabulum illud in tit. Cod. *Si de momentan. possess. &c.* occurrit; etenim jure Romano *momentaria possessio, momenti actio, momentaria possessionis interdictum*, ad Judicium possessorium ordinarium, inprimis vero, ad redintegrandam vel recuperandam possessionem, qua quis vi aliove modo dejectus est, unice refertur, eo quod hæc restitutio expedite & sine ulla procrastinatione decernenda sit, atque adeo cum hoc nostro Judicio nihil commune habet. Conf. Gothofred. ad *Codicis Theodos. l. 5. de jurisdict. l. 1. unde vi. l. 1. si de momentan. &c.* Cujacius *Lib. 1. Obs. 20.* Pfankuch. *dict. Lib. 1. cap. 1. n. 5. & 6.* Quod si vero id ipsum ab effectu adjudicatæ possessionis fiduciariæ, quasi ea per



per momentum tantum daret, & quidquid in hoc summa-  
riissimo decernitur momentaneum ac reparabile, neutri  
parti in ordinario possessorio vel petitorio præjudiciale sit,  
rationem appellationis derivandam esse contendas, in ver-  
bis faciles erimus. Conf. *Concept. Ord. Camer. §. 4.*

THESES IV.

Circa originem hujus instituti non idem sentiunt  
Dd. plurimi ejus natales in jure Romano se reperisse pu-  
tant, alii ad jus Canonicum provocant, nonnulli vero Juri  
Germanico id ipsum unice in acceptis ferunt. Et sane cum  
institutum hoc ad turbas, tumultus, bella civilia, vindictam  
privatam præcavendam præsentaneum suggerat remedium,  
atque adeo salutare admodum & rationabile sit, illud primo  
ultra concedimus non solum in LL. Romanis, sed &  
aliarum Gentium Juribus ea deprehendi instituta, quæ  
cum hoc nostro apprime conveniant. Apud Locrenses  
jam tum Zaleucus legem tulerat, *ut rem, de qua sit contro-  
versia ille possideat quamdiu lis pendebit, penes quem erat  
cum in jus fuit adducta.* Vid. Polybius *Histor. excerpt. Lib. 12.*  
Extraordinarias illas cognitiones, quibus Prætor olim in  
causâ possessionis jubebat aliquid vel interdixebat, cum  
summarissimo nostro in multis convenire, Huberus *ad tit.  
ff. de interdict. in epilogo* probe observavit. Litem vindicia-  
rum, seu quæstionem de possessione tenenda, pendente su-  
per proprietate controversia, ad hoc nostrum propius ad-  
huc accedere ex Asconio Pediano *in Verrinas Ciceron.* Schil-  
ter. *Ex. ad. ff. 13. §. 11.* vere asserit. Et cum in Jure Roma-  
no pariter ac Canonico provisionalia remedia fundata sint,  
eaque ex æquitate toties decerni jubeantur, quoties necessi-



tas id suadet, ne quis negabit *summarissimum* hocce, in quo publicæ quietis gratia possessio uni per modum provisionis interim assignatur, utriusque juris regulis hæcenus non adverfari. At enim vero, quemadmodum alias Judiciorum Romanorum formam, cum processu hodierno nihil fere commune habere fatentur omnes, illi etiam, qui singula juris Romani capita, in foro recepta esse plus iusto contendunt, ita generalis ejusmodi convenientia hæc poterit evincere, natales *possessorii summarissimi* Romano aut Canonico juri deberi, & hoc cum illis in Judiciis nostris receptum ac introductum esse. Leges certe quod attinet hanc in rem allegari solitas v. gr. *l. 14. Cod. de agric. & censu. l. 13. §. 3. ff. de usufructu. l. fin. ff. de offic. procur. Cesar. l. 9. C. de transact. l. 7. §. fin. de liberal. caus. l. 5. Cod. de his qui ad Eccles. confug. l. 6. §. 2. & l. 13. ff. de offic. presid. l. 1. §. 3. ff. uti possidet. §. 4. l. de interd.* eadem tale quid non evincunt. Vid. Pfanck. *lib. 1. cap. 2.* In *cap. 1. X. de casu possessionis & propriet. cause momenti & proprietatis* quidem fit mentio, verum totus tituli contextus docet, de ordinario possessorio ibidem sermonem esse. Conf. Gonzalez in *Comment. ad d. c. Cap. 9. X. de probat.* definit tantum, duobus super possessione contententibus, cum superiorem esse debere, qui probationes meliores adduxerit. *Cap. 6. X. de institut.* itidem de ordinario remedio loquitur, quin & *Clement. sæpe de V. S.* aliasque leges summarium processum stabilientes, huc non pertinere, res ipsa loquitur.

#### THESIS V.

Quæ cum ita sint, cum Schiltero *d. l. Pfanckuch, d. l.* alisque tertiam quam diximus sententiam propugnandam, asse-



asserere nulli veremur, *possessorium summarissimum* occasione bellorum civilium, diffidationum, privataeque vindictae, in Germania subnatum & introductum esse. Nimirum inter alia quae sub ferali illo interregno, mortem Friderici II. subsecuto, Germaniam nostram affligerunt mala, bella civilia, duella, rapinae potissimum numeranda sunt: siquidem non solum interregni tempore, sed & post illud, per annos amplius ducentos Judiciorum vis, Magistratum potestas, Legum auctoritas prostrata jacuere: ita ut non ex jure manu confertum, sed magis ferro lites dirimerentur. Vid. Dn. Hert *de Super. territor.* §. 35. Et quanquam Maximilianus I. Imperator, promiscuae vim licentiae non modo pudendam Imperio, sed & quam maxime detrimentosam animadvertens, omne bellorum genus, **alle Fehd und Verwirrung** in perpetuum prohibuerit, (cum anterioribus legibus pax temporaria tantum praecipua, quin & licentia illa restricta quidem, non tamen penitus interdicta esset) ac poenam violatae pacis transgressoribus indixerit, Judiciis in istum usum simul institutis, Circulisque ordinatis, ut turbatores invaforesque manu militari eo promptius cohiberi possent. vid. **Land-Frieden zu Wormbs und dessen Handhabung** de anno 1495. Attamen animis hominum alte infessum vindictae privatae studium simul ac semel eradicari haud potuit, sed posthabita judiciali sententia, non sine tractu temporis proferenda, saepius adhuc ad arma convolutum fuit, indeque non aliud commodius remedium communis quasi sensus praemonstravit, quam ut lite super possessione suborta, ubi praesentaneum turbarum periculum, *jamque faces & saxa volant furor arma ministrat*, Judex velut Deus ex machina interveniat, ac possessorem quem

de-



deprehendit, tamdiu teneatur, usque dum de iustitia vel iniustitia cause propius constet. Id ipsum monumenta illa, tabulaeque pacis ac foederis Suevici, quas Datt *de pace publ. Lib. II. Cap. 11. 12. 13. & 19.* produxit insigniter confirmant. Leges vero publicae quibus institutum hocce vel maxime stabilitum fuit, sunt sub Maximiliano I. Recept. Imp. de anno 1512. p. 1. tit. 4. §. 12. sub Carolo V. Recept. Imp. de anno 1521. §. penult. & de anno 1555. Ordin. Camer. p. 2. tit. 21. Secuta dein resolutio gravaminum a Collegio Camerali exhibita, magna sui parte *Concept. Cammer Ger. Ord. tit. 22.* inserta. De quibus singulis, nec non de mutationibus, sub quibus constitutio de litigiosa possessione, in eam qua hodie conspicitur formam evaluit, erudite differit illustris Dn. de Ludolph, in *System. Jur. Camer. Sect. 1. §. 7.*

THESIS VI.

Ex haecenus dictis simul liquet, quem in finem *possessorium summarissimum* introductum sit, & cum finis intuitu mediorum in meralibus se habeat ad instar alicujus mensurae, de usu hujus iudicii genuino & vero, exinde simul judicare possumus. Toties inquam ex Constitutionibus Imperii huic processui deum locum, quoties periculum seditionis tumultus & armorum subest, publiceque interest, vim privatam prohiberi, quietem publicam & viam juris legitimam conservari. Tres etenim in textu *Ordin. Camer. Carol. p. 2. tit. 21.* proponuntur casus, quorum duo priores de possessorio ordinario loquuntur, ibi: *endlich mit Recht entscheiden lassen* etc. tertius vero casus, si inter immediatos possessio sit dubia, & praesens metus seditionis aut tumultus adsit, huic extraordinario sive summarissimo deum locum facit.



facit. Vid. *d. lit. 27. §. 1.* Daß Spähn und zu Zeiten Auf-  
 ruhr und Wiederwertigkeit entstehen, daraus sorgliche  
 Empörung, Weitherung und Aufruhr zu besorgen *re.*  
 & *§. ult.* und darauff alsbald summarie ohne einigen ge-  
 richtlichen Proceß, oder andere weitläufftige Ausführung  
 der *Sach re.* Atque adeo Judici ante omnia dispiciendum,  
 an metus ille, non vanus, saltem probabiliter adsit, ac  
 partes sibi invicem pro libello ensem ostentent, absque hoc  
 enim ad summarissimum devenire haud debet, etiamsi al-  
 terutra partium id velit. vid. *Gail. 1. Obs. 5. Klock, vol. 1.*  
*conf. 40. n. 23. Brunnem. conf. 72. Dn. de Ludolf. d. l. n. 6.*  
*ibique allegatus Pfank.* Proin de metu armorum & partium  
 procinctu Judex certior esse debet, saltem summarissime  
 v. gr. ex missivis *d. Ord. Camer. §. fin. verbis: aus redlichen*  
*Anzeigungen re.* coeteroquin enim litigiosa cum turbata  
 possessione, Judicium ordinarium cum extraordinario com-  
 misceretur. Simplex, inquam, turbatio ad ordinarium perti-  
 net, & si v. gr. pignus ablatum, vel quis captus sit, id ad  
 Constitutionem de pignorationibus spectat; ac si metus ar-  
 morum non praesentaneus sed longinquus est, causa in or-  
 dinario Judicio tractanda, vid. *Klock. de contribut. cap. 19.*  
*n. 119.* nam ut eleganter *Rebuff. de Sentent. Execut. art. 1.*  
*gloss 5. n. 31.* ait: *nunquam sententia recedentia vel sum-*  
*mariissimi possessorii concedi debet, quando integrum est Ju-*  
*dici plenum possessorium expedire, quia duo capita posses-*  
*ionis non sunt facienda, quando in uno potest fieri utriusque*  
*deciso.* Plane si Judex in progressu demum compererit,  
 nullum tale periculum subesse, a summarissimo recedere,  
 illudque in ordinarium commutare debet. *Klock. d. l.*  
*n. 127.*

B

THE-



THESIS VII.

Quemadmodum vero dicente Carpz. p. 3. d. 225. n. 13. possessio quasi humidum radicale est omnium inhibitionum vel mandatorum, ita quoque Judici priusquam in *summariissimo* decernat, de possessione litigiosa, quod scilicet uterque, vel plures, se possidere affirmant, & contendant, constare debet. *dict. Ord. Camer. in pr.* verbis: *Daß sich ein jeder für einen Besitzer des streitigen Gutes ic.* Cui consequens cum eo tantum respiciendum sit quis de facto possideat, etiam unicum actum quiete exercitum, ad manutentionem in *summariissimo* sufficere, quia hoc non tam veram & propriam possessionem, quam statum rei qui erat tempore motæ litis respicit. Postius *de manutened. Decisf. 17. n. 2. & Decisf. 156.* E contrario, si adversarius contradixerit, reclamaverit, protestatus fuerit, vel ad superiorem provocaverit, actus ille, qui lici causam præbuit, agenti non proderit. Vid. *Lynck. resolut. 661. Mev. p. 2. d. 188. p. 3. d. 91.* Simili distinctione legem Zaleuci, quam supra ex Polybio adduximus, Cosmopolis limitavit; ita enim Polybius *dict. loc.* pergit: *quod scriptum esset, unde res controversa fuisset in jus adducta, id de eo accipiendum qui ultimus antequam nasceretur controversia, per aliquod tempus rem possederit, qua de re nunc agitur, quod si aliquis illud ipsum, per vim alteri ereptum domum suam deduxerit, ac mox prior dominus inde rem litigiosam in iudicium adduxerit, possessionem illam pro rata & legitima non esse habendam.* Eadem inquam ratione, *summariissimum* illud, quod in Germania subnatum & introductum esse diximus, actus novissimos & præsentaneos ante motam litem exercitos, unice considerat, ita ut si unus in antiquioribus, alter in novio-



novioribus actibus se fundet, hic præ ma<sup>o</sup> manutionem mereatur. Friderus *de process. extrab. lib. 1. cap. 45.* atque adeo antiquior sine præsentanea possessione in hoc iudicio haud prodest, & iudex non tam dispicit quis possideat, quam quis in possessione sit. Mevius *part. 3. Dec. 91. Gail. lib. 1. Obs. 6.*

### THESIS VIII.

Quanquam autem in ordinario possessorio, ubi plena probatio requiritur, instrumentis, literis, scripturis possessio regulariter non satis probetur; id ipsum tamen in hoc summarissimo (ubi sufficit aliqualem verisimilitudinem fieri) aliter se habere, & probationem per instrumenta admittendam esse, docet Mev. *p. 4. d. 293. Brunnem. ad l. 48. ff. de acquir. vel amitt. possess.* quod tamen non aliter procedet, quam si instrumentum de actibus possessoriis novissimis diferte loquatur. Testes injuratos esse posse, affirmat Carpzov. *l. 1. Resp. 4. num. 7. & in Process. tit. 23. art. 1. num. 35. Mevius d. part. 4. Dec. 293. num. 4.* Ast nisi alia adminicula accedant, magis placet, quod idem Mevius *part. 8. Dec. 492.* asserit, non tantum usum fori in plerisque iudiciis, sed & analogiam Juris huic opinioni refragari, Conf. Cochii *Praxis fori Germ. p. 4. c. 4. §. 6. Finckelth. Obs. 32. Hahn. ad Wesf. tit. de probat. num. 5.* Sufficere unius testis, præsertim in dignitate constituti testimonium demonstrarunt Carpz. *l. 3. Resp. 94. & p. 2. C. 7. def. 16. Mevius d. Dec. 293. num. 4. Stryck. de probat. semipl. cap. 5. num. 76.* Non tamen ubi de singulorum, ex universitate, commodo agitur eorum testimonia sufficere probavit Berger *in Resolut. pag. 516. Mevius Consil. 73. num. 14.* Ast testes



omnino inadmissibiles & in summarissimo reprobantur  
 Carpz. *p. 2. Corp. 7. def. 17.* Singulares tamen testes, de  
 diversis actibus deponentes probationi non sunt impedi-  
 mento Mevius *pari. 7. Dec. 169.* Ac licet alias interdictum  
 uti possideris, illis qui vitiositate tituli laborant, puta ab  
 adversario vi, clam, vel precario possidentibus non conce-  
 datur, §. 4. *J. de Interd. l. 1. §. ff. uti possid.* attamen precarii  
 exceptionem aliamve tituli vitiositatem in summarissimo  
 non attendi asserit Mevius *p. 9. d. 117.* quæ sententia per  
 textum ab ipso allegatum *l. 14. ff. de vi & vi armata.* non sa-  
 tis equidem probatur (pertinet enim ille ad interdictum  
 unde vi, in quo id odio spoliatoris speciale. Vid. Struv.  
*Ex. 45. tb. 109.*) in praxi tamen communiter recepta est.  
 Vid. Postius *Obs. 42. n. 123.* Lynck. *Resp. 169. n. 12.* Carpz.  
*Lib. 1. resp. 1. n. 27.* Idemque obtinebit in actu ab initio  
 violento, sed postea expresse vel tacite ex silentio annali  
 approbato, remittens enim jus suum, eo amplius uti ne-  
 quit. *argum. l. 14. §. 9. de Edilit. Edict.* Mev. *p. 9. d. 64.*  
 Interim tamen si probatio precarii liquidissima in promptu  
 sit, ac v. gr. possessor propriis suis literis de eo convinci  
 possit, manutentionem denegandam esse crederem, siqui-  
 dem possessio notorie improba, nullo gaudet juris admini-  
 culo. Conf. Lynck. *Resol. 661.* Mev. *p. 4. d. 308. n. 5.* Eadem  
 ratione nec illi manutentionem concedendam putamus,  
 qui pendente lite possessionem, licet a Judice demum ob-  
 tinuit, is enim ob vitium attentatorum spoliatori similis,  
 Lynck. *d. Resol. 661.* & Mev. *d. decis. 368.*

#### THESIS IX.

Utrum vero possessorium summarissimum cum peti-  
 torio



torio cumulari queat? quæstio est, in qua non idem sentiunt Dd. Schilter. *Ex. 13. ib. 14.* id ipsum simpliciter negat, eo quod summarissimum petitorio immediate non inserviat, sed possessorio plenario, & per hoc demum ad petitorium deveniatur. Bergerus vero *in Elect. process. possessor.* §. 40. in alia omnia abit, cumque nihil impediat, quo minus absoluto summarissimo, prætermissoque possessorio ordinario, statim quis petitorio experiri valeat, cumulationem istam omnino fieri posse contendit. Quam quidem Bergeri sententiam eo demum in casu procedere credimus, ubi possessorium retinendæ quoad praxin cum petitorio cumulari potest, siquidem solum possessorium retinendæ (ut supra vidimus) in summarium & summarissimum dividitur. Constat nimirum, de jure quidem Romano cumulationem istam, ex veriori sententia nunquam procedere. Vid. Franzkius. *Ex. 14. quæst. 1.* De jure vero Canon. per *cap. 3. X. de caus. possess. & propriet.* & praxi hodierna inter possessorium retinendæ & adipiscendæ vel recuperandæ possessionis distingui, ita ut in his cumulatio procedat, in illo non æque. Vid. Carpz. *lib. 1. Resp. 71. & part. 2. Const. 7. defin. 10.* hoc ultimum tamen Practici nonnulli rursus limitant, nisi (1.) actor dubius petitionem suam alternative formaverit, ut ipse vel possessor declaretur, vel si non possidere deprehendatur, reus in petitorio condemnatur. Vid. Berger. *in Oeconomia juris p. III. 1177.* aut (2.) possessorium retinendæ cum actione confessoria cumuletur, utpote quæ possessori etiam conceditur. Schilt. *Ex. ad ff. 18. ib. 44.* Ut adeo si unquam alias, in his duobus casibus summarissimi & petitorii cumulatio demum procedat. Pariter nec illud prætermittere



mittere possumus, an possessorium summarissimum cum summario cumulari queat, v. gr. si quis petat, se in possessorio ordinario tamdiu defendi, usque dum reus in petitorio aliud eviderit, quin & pendente possessorio illo possessionem sibi relinqui in eaque se defendi? & hanc cumulationem procedere, ac utrumque possessorium uno contextu pertractari posse, defendit idem Berger. *in Elect. processus possess.* §. 41. siquidem in dolo possessorii summarissimi genuina efflagitat, ut de præsentè possessione, velut puncto quodam incidente decernatur, atque adeo nihil obstat, quo minus pendente possessorio ordinario, provisionalis illa decisio articuli incidentis præcedere possit: plane ut alia provisionales sententiæ separatim processum haud postulant.

#### THESIS X.

Reliqua ad processum in summarissimo possessorio pertinentia a Pfank. integro *lib. 2.* & aliis Commentatoriis larga manu exposita sunt. Eorum tamen nonnulla velut per saturam huc conducemus. An citatio in summarissimo necessaria sit, disquirit Mev. *p. 2. d. 237.* (cui *p. 9. Dec. 14.* non obstat) distinguens: num turbationis & armorum pericula adhuc dubia sint, ac res moram patiatur, quo casu citatio minime negligenda: istis vero locis se habentibus, sine prævia citatione in summarissimo pronuntiari possit. Cautionem de non turbando non aliter locum habere, quam si victus a turbando desistere nolit, decisum apud eundem *p. 3. d. 193.* interrogatoria tamen ad articulos in hoc processu admitti posse statuit idem *p. 6. d. 303.* Adjunctionem vero Notarii peti non posse defendit



dit Pfank. *d. lib. 2. Cap. 9. §. 32.* Loco reprobationis, contrariam quandam demonstrationem & summariam probationem cum exceptionibus contra personas testium ante sententiam, *Mev. p. 6. d. 300. cum Carpz. p. 2. const. 7. d. 17.* admittit. Intervenientem in hoc processu audiendum esse judicatum apud *Mev. p. 7. d. 372.* In summarissimo non tantum de rerum, sed & de jurium quasi possessione decernitur. *Idemp. 7. Dec. 146, 147.* An in causa confanguinitatis locum inveniat? vid. *Consil. Marpurg. Vol. 3. Conf. 32.* Quomodo petitio in hoc processu formanda sit, docet *Brunnem. Conf. 158.* Si petat actor ut a turbatione cessare & cavere jubeatur reus, possessorio ordinario agere praesumitur. *Carpz. lib. 1. Resp. 15.* Item si petitorium conjungat possessorio, (conf. tamen *praced. Th. 9.*) ordinarium insituisse intelligitur, & si desuper cognitionem urgeat, summarissimum ipsi abjudicatur, hac fere formula: **Es wird dem Kläger sein des possessorii summarissimi halben beschehenes Suchen, gestalten Sachen nach hiermit abgeschlagen und mögen beyde Partheyen ob sie wollen, in possessorio ordinario vorderlichst verfahren.** Vid. *Klock. vol. 1. conf. 40.* Judicem ceteris paribus ex officio etiam in summarissimo pronunciare posse, confirmat *Mevius p. 2. Dec. 237. num. 4.* An & quatenus forum Austregarum, Constitutioni super litigiosa possessione locum faciat vel impedimento sit, disquirat. *Dn. de Ludolph. dict. loco. pag. m. 70.* *Idem pag. 67.* pluribus docet officium Judicis terminis adeo angustis non constringi, quo minus ratione circumstantiarum, aliis etiam modis, quam qui in Constitut. super litigiosa possessione expressi, provisionaliter uti queat, & praeter potestatem sequestrandi, inhibendi, in summarissimo



riissimo pronunciandi, pro re nata compossessionem quoque decernere possit. Addatur *Mev. p. 8. d. 450.* ubi pluribus Judicem instruit, quando sequestrationem decernere, & quando in summariissimo pronunciare debeat. Appellationem a sententia in possessorio summariissimo lata, locum non invenire, constans omnium Practicorum est sententia. Vid. *Struv. Ex. 50. Tb. 4. Mev. p. 3. d. 204. p. 5. d. 349. 350. p. 6. d. 395. p. 7. d. 20. Sc.* Et quando idem *Mev. p. 9. d. 14.* casus exceptos refert, iidem non tam exceptionem a regula constituunt, quam a circumstantiis, sub regula non comprehensis, unice dependent; Denique querelam nullitatis contra sententiam in summariissimo laram moveri non posse recte affirmavit *Mev. p. 6. d. 300.* addatur *Carpz. p. 2. const. 7. def. 17. Richter. decis. 104.* Quae singula pluribus prosequi nunc quidem non licet.

THESIS XI.

Hactenus dicta abunde, ut puto, evincunt possessorium *summarissimum*, utpote tot Legibus Imperii firmatum, tot Ordinationibus Regionum Germaniae stabilitum, salutare admodum producere effectus, siquidem sobrie & prudenter adhibitum fuerit. Quemadmodum vero in naturalibus non solum, sed & in moralibus, corruptissimo optimi est generatio pessimi, ita ex abusu hujus Judicii litium prorelationem, aliaque mala subnasci, quilibet affectibus vacuus, vitro nobiscum agnoscet. Sane *Brunnem. ad tit. Cod. si de momentan.* post expositam distinctionem inter summarium & summarissimum, cum allegatis *Sarmient. lib. 2. interpr. select. cap. 13.* & *Petro Fridero de interdich. Comm. 13. num. 24.* scribere non dubitavit: *si formam Judiciorum*



ciorum Justinianeam, & qua Judicia institui debeant ac poterant, sique Deo rem gratam Judiciorum reformatione facere velimus, distinctionem hanc rejiciendam esse. Utcunque autem Friderus d. l. *summariissimum* penitus improbet, Brunnemannum tamen verbis istis, ad abusus potius respexit, alia ipsius scripta persuadent. Abusus, inquam, summe noxius est, si contra primævum institutum Legesque Imperii in quacunque possessionis quæstione, ad *summariissimum* deveniatur, ubi nullus armorum metus, nullum turbarum periculum, quieti publicæ nullum imminet præjudicium. Vid. Dn. de Ludolf. d. l. pag. 69. Pfanck. lib. I. Cap. 6. *passim* & Cap. 7. n. 24. Non equidem negamus, quin potius defendimus, & inter mediatos *summariissimum* locum invenire. Quanquam enim supra allegatæ *Constitut. Imperii* de casibus, in quibus Jurisdictio Camerae Imp. fundata unice loquantur: Attamen in Regionibus Germaniæ & quoad mediatos aliquando contingere, ut ejusmodi motus, atque conflictus in causa possessionis juste metuendi sint, quibus autoritate Superioris, & ordinaria Juris via obicem ponere non liceat, sicque ad hoc extraordinarium remedium recurrendum sit, res ipsa loquitur. Eum in finem a Regionum Dominis in Ordinationibus Judiciariis *possessorium summariissimum* vigore LLtoriarum potestatis *passim* stabilitum: & cum per *Recess. Deput. de anno 1600. §. 15. Rec. Imp. noviss. §. 137.* Ordinatio Cameralis & alia Juris Communis capita pro norma & forma particularium Ordinationum commendentur, quid obstat, quo minus & in hoc articulo institutum illud sequantur? At enim vero inter mediatos subditos infimæ conditionis non solum, sed & quorum vanæ sine viribus iræ, in eminentiori licet gradu constitutos, *summariissimum*



*riissimum* sine discrimine admittere, quid hoc aliud, quam ipsam Imperantium potestatem & auctoritatem contentui exponere? instantias, cum maximo temporis & sumtuum dispendio, multiplicare? Quasi vero non alia suppetent juris remedia ordinaria, quibus impotentem hanc excandescentiam, refranare posset Judex, cui de meliori præcordia finxit Titan, quique cum gravitate jus reddere, suisque mandatis pondus addere novit? ut extraordinarium hocce remedium (ad casus ubi publica seditio, armataque manus in procinctu, in LL. Publicis restrictum) adhibere necessum non habeat. Vid. Pfankuch. *d. c. 6. num. 40. cum alleg.* Quando vero laudatus Autor *ibid. num. 42.* Westphaliam in genere ob hunc abusum reprehendit, ad Patriam meam dulcissimam, Ducatum Westphaliae in specie id non pertinere facile agnoscat, cui hodiernus Judiciorum nostrorum vigor, aliquantulum cognitus. Eidem abusu saluberrima Constitutione Augustissimus Borussiae Rex provide obviam ivit, vid. Königl. Preussische Ordnung von Verbesserung des Justiz Wesens de anno 1713. §. 39. ibi: Es gibt auch die Erfahrung, daß das summariißimum zuweilen sehr mißbraucht, und bald das nudum factum, bald Justitia, wie es dem Richter in Sinn kombt vorgezogen wird, zuweilen auch in causa ordinarii, vel petitorii, sententia in summariißimo erfolgt, weilen aber hinfünfftig das summariißimum nur alsdann, wann periculum armorum, oder in mora obhanden, statt haben, sogleich aber in uno termino vor den, welcher die beste coloration vorbringt, abgethan, und hierwieder kein beneficium juris admittirt werden soll: So haben Unsere Richter dahin zu sehen, daß diesem nachgelebt werde. Non equidem  
 igno-



ignoramus III. Dn. de Lyncker *Resp.* 136. n. 26. ex Carpz. *lib. 1. resp. 9. n. 8.* & Fridero *de interd. commentar.* 27. referre, præter armorum metum in summariissimo & alios fines esse posse v. gr. ut molestiis & expensis altera parte defatigata, in ordinario tanto facilius quis obtineat: item ut levioribus probationibus defunctus, commodo possessionis tanto securius quis frui possit &c. At enimvero, an Legibus publicis hæc talia conveniant, an secundum regulas prudentiæ Judiciaræ examen ferant? merito substitimus.

THESES XII.

Nec minus abusum longe maximum & illud involvit, quando remedium summariissimum, quod incidenter tractandum erat, in tot ambages conjicitur, ut principaliter de possessione agi videatur. Quo pertinet, quod Gylmannus *in præjudiciis Camer. sub rubro possess. moment.* observavit: *processus hoscæ sæpissime ultra 20. annos protelatos fuisse.* Peccat etiam Judex, si possessorium illud ab eo institui permittat, qui contra possessorem arma sumfit. Menech. *remed. retin. possess. ult. n. 19.* Siquidem allegans armis alteri se occurrurum, tanquam propriam turpitudinem allegans non est audiendus Gylman. *2. rer. Judic. Camer. p. 779.* Æque graviter peccabit Judex appellationem a sententia in possessorio summariissimo lata admittens. Quod si tamen Judicii illud genus magis in rubrica obrutum, quam ut re vera de Jure locum invenire possit, & hoc intuitu Judex superior appellationem admiserit, Judici a quo vel Advocatis partium statum causæ pervertentibus, secundum tradita Mev. *p. 9. dec. 14.* id potius impu-



tandum est. Quo pertinent ea, quæ e Caroli de Mean, Leodiensium Papiniani, *observationibus*, & aliis casibus practicis annotavit illust. Dn. de Ludolf. *d. l. pag. 204. 205.*

THESES XIII.

Denique nec illud sicco pede præterire possumus, quod H. Grotius de *Jure B. & P. Lib. 3. Cap. 20. §. 40.* statuat: *arbitros lectos a populis, aut summis potestatibus, de principali negotio pronunciare debere, non de possessione: eo quod possessoria Judicia meri Juris Civilis sint, Jure Gentium possidendi jus dominium sequatur: ideo dum causa cognoscitur, nihil innovandum esse, tum ne præjudicium fiat, tum quia difficilis est recuperatio: quam in rem plura collegit Hert. de ord. caus. in Jud. tractand. §. 20.* Quod si ita est, summarissimo tali casu nullum plane locum relictum esse, & ad controversias eorum, quos nulla Juris Civilis tenet communitio, Civile hoc institutum transferri non posse, quilibet facile agnoscit. At tamen istam Grotii doctrinam limitationem suam habere Dn. Waldschmidt, *Principalis Regiminis Consiliarius, Academie*



*demie Professor Juris Celeberr. Doctor meus omni observan-  
tia colendus, in Dissertatione de possess. ejusque effectibus inter  
Genes §. 16. pluribus ostendit. Animus quidem erat an  
possessorio summariissimo uti possit, cui vehemens Juris  
præsumtio adversatur? inprimis vero an & quatenus inter  
Imperantem & subditos Regalium intuitu locum inveniat?  
pluribus adhuc disquirere, verum angustia temporis exclu-  
sus, his in aliud tempus reservatis, filum hic abrumpere  
cogor. Deo vero T.O.M. pro gratia & assistentia Studiis  
meis Academicis concessa, gratias ago devotissimas.*

TANTUM.





Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and mostly illegible due to fading and the texture of the paper.

LIBRARY





Marburg, Diss., 1719-24

<b>ULB Halle</b>	3
003 599 06X	
	

7A → OLSb. †  
Nur 4 H. 11 Stück vorlag


VD 8











8

172279

89-63

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,  
DE  
ORIGINE, USU & ABUSU  
**POSSESSORII SUM-  
MARISSIMI**

QUAM,  
SOLO DEO PRÆSIDE,  
EX AUCTORITATE ET DECRETO AMPLISSIMI ICTORUM ORDINIS,  
IN ILLUSTRACADEMIA MARBURGENSI,  
PRO LICENTIA  
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE OBTINENDI,  
PUB.LICO ET SOLENNI ACADEMIÆ PRÆCERUM EXAMINI  
AD DIEM VIII. JULII ANN. clō Io cccxxi.

SUBMITTET,  
**FRANCISCUS ANTONIUS  
BERGH,**  
REVERENDISSIMI ET SERENISSIMI ELECTORIS COLONIENSIS JUDEX  
CIVITATIS ET COGRAVIATUS RUTHENSIS.

EDITIO SECUNDA.

MARBURGI CATTORUM,  
SUMPTIBUS HENRICI RUDOLPHI MEYERI, MDCCXC.



(3)

